

ANNO DOMINI DCLIV.

# SANCTUS LIVINUS.

SANCTI LIVINI EPISCOPI ET MARTYRIS,

## VITA,

AUCTORE BONIFACIO COÆVO.

*Ex ms. cod. Compendiensi et Nicotao Serario.*

(Acta sanctorum Ord. S. Benedicti.)

## MABILLONII OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. Si objectam sancti Livini Vitam vulgavit Nicolaus Serartus post Epistolas sancti Bonifacii archiepiscopi Maguntini, quem ejusdem itæ conditorem esse existimavit. Sed quominus ei assentiamur, prohibent argumenta nonnulla Bonifacius istius Vitæ scriptor, gesta sancti Lirini tribus discipulis ipsius retexentibus, Foillano, Helia et Kiliano, sibi comperta affirmat: quibus obnixe postulantibus huic scriptioñi dederit operam. Sanctus Burchardus sedi Herbipolensi a sancto Bonifacio Maguntino impositus ab Egilvualdo dicitur anno LXII post passionem sanctorum martyrum Kiliani ac sociorum ejus, quæ incidit in annum Inc. Dominicæ DCCXIX, et quidem in Germania; quo tempore sanctus Bonifacius vix sortitæ in Anglia pueritiam agebat, qui anno DCCXIX legationem apostolicam in Germanicæ partes a Bonifacio papa II adeptus, anno DCLIV, ætate adhuc virienti martyrium subiit. Qui igitur fieri potuit, ut sancti Livini gesta a Kiliano et sociis didicerit? Addo sanctum Bonifacium in suis Epistolis bene multis nusquam peccatoris nomine præferre; quod nomen sancti Livini encomias in Præfationis salutatione sibi usurpavit. Alius ergo est a sancto Bonifacio Maguntino, et quidem antiquior Bonifacius iste; episcopus an abbas, incertum: nam et abbates alii que post Gregorium M. se servos servorum Dei in Epistola um inscriptionibus nonnunquam dicebant. Gotselinus monachus in Vita sancti Augustini Cantuariensis e. scopi lib. 1, cap. 28, quædam ex ista sancti Livini Vita mutuatus est.

2. Livinus in solitudine aliquandiu degit cum Foillano, Helia et Kiliano. Preceptorum ac institutorem habuit sanctum Augustinum canonicum antistitem, a quo etiam sancti Benedicti normam discere potuit. Miramur cum Willielmo Malmeburieensi, venerabili Bedani ne verbo quidem egisse de Livino, cuius nomen in sincris Usuardi et Adonis martyrologiis desideratur.

## PROLOGUS AUCTORIS.

Bonifacius homo peccator, servus servorum Domini nostri Iesu Christi, universis sub auctoritate sanctæ et individuæ Trinitatis super firmam petram fundatis Ecclesiis in summa felicitate, gloriam jocunditatis æternæ. Beatissimi Patris et Deo dilecti pontificis Livini venerandus gloriose passionis triumphus hodiernam solemnitatem gaudii nostri in magnæ venerationis honore ceremonialiter nobis celebrandam et votis adhibendam sancxit, tanti inclita Patri, ad declaranda mundo meritorum præconia, quibus hortamur affectualiter congratulari: excitante nos ad hujus devotionis gaudia ipso rotantis anni solemnis tempore, quo triumphalis palma certaminis istam agonotheta victoriosissimus et martyr mirificandus ex præsentis sæculi conflictu indomabiliter pro sanctæ Trinitatis confessione belligerando, atque persequentiū triumphando minitationes et atrocium poenarum agitationes lætus transmigravit, Regemque cœli adiit emeritæ dignitatis laurea in confessione martyrum intronisandus parique honore glorificandus,

A atque corum contubernio fructurus in beatitudine pacis perpetuae. Hujus denique tam excellentissimæ sanctitatis Christi athletæ magnarum virtutum insignia quæ vestre expandimus dilectioni, tribus discipulis suis retexentibus comperiebamus, Foillano, Helia et Kiliano, qui piæ charitatis affectu (ut fatebantur) sua quæque renuntiantes, ob spem vitæ æternæ ejus conglutinaliter studuerunt adhærere vestigiis, et instrui admonitionibus atque informari exemplis, manus nostras osculando provolutisque in terram genibus per ægra lacrymarum suspiria imprecati sunt a nobis scribi et memoriae in posteris conservanda. Quorum ergo multum renitentes voluntati, quoniam nostræ peritiuncula pertimesceamus tantillitatem; sed enim debiti amoris vis tenet ritudine suæ enervationis geminæ quoque dilectionis geminifluis alis nostri transcendit arcana devoti pectoris, et tandem illa fraternalæ conglutinationis aspiratio ipsum animum nostrum suis viribus disflidentem, fragili in audaciam subeundæ difficultatis

<sup>3</sup> Hinc colligitur Foillanum hunc distinctum esse a sancto Foillano Fursei abbatis fratre, qui lere seipser Furso adiuxit; ut Foillanus iste Livino.

Nulla tamen hujus Foillani mentio vel notitia post sancti Livini necem occurrit.

Spiritus sancti tentamine gratia cooperante reflexit, A laudem et gloriam pii Patris verbatim enodari di-  
et charitati eorum satisfacere studuimus, et hæc ad gnum censuimus.

## INCIPIT VITA.

**2. Livini patria et parentes.** Tempore igitur quo Colomagnus, inclitus rex Scotorum, in Christianæ religionis vir magnificus, polleret virtutibus, et sceptra regni et imperialis monarchiæ columnæ supernæ providentia auspicabiliter gubernaret, erat quidam senator Scotigena nomine Theagnius, exspectabilis stemmate nativæ nobilitatis excellentissimus, ipsius regis optimatum princeps, et præ cunctis aulicis suis primatibus archialiter apicem gerens, vir strenuus, regaliumque secretorum symmista industrius et summae prudentiae compositionibus longe lateque loquaci ruuore perlatus. Habuit etiam conjugem Agalmiam nomine, venus'a prosapia et meritis præcluem, filiam videlicet Ephigenii, Hibernensem regis clarissimi. Qui, Domino inspirante, pari confederati spiritu, divinisque prædicti legibus, miræ virtutis fulsere insignis; et quos Dominus sua perlustraverat gratia, tali dignatus est consolari gloria.

**3. In utero matris columba cœlitus designatur.** Nocte quadam Dominica, dum in stratu suo regali lito perornato pariter compositi repausarent, nec vigilantes, nec integerime obdormientes, visa est columba lactei coloris cœlitus descendisse inæstimabili claritate colestis glorie fulgorans, et requiescere super capitale stratus eorum, et sereno vultu intueri in eos. Quæ expandens alas suas obumbravit eos, et mellifluo ore tres lacteolas stillavit guttulas instar mundissimi lactis in beatis labiis Deo dilecta: feminæ, et coelio refusa subvolavit æthera. Mox vaporabilis splendor nimia odoriferæ suavitatis fragrantia totum illud regale perlustravit palatum, usque mane reverberatis radiis protensus. Infans vero quem beata mater tunc forte gestabat in utero, jam vivifico flatu irradiatus, mobilibus subsistere coepit membris, et ut certe credatis, supernæ visitationis congratulabatur respectibus.

**4. Visio a Menalchio explicatur.** *Livino nato exultant omnes.* Tunc magnanimus dux Theagnius et venerabilis matrona Agalmia hujusmodi aromatis [id est visionis] raritate attoniti, jam aurora radiante venire ad se fecerunt dominum Menalchium, germanum ipsius ducis, qui tunc archipontificatus jura regebat, virum probabilem et sanctimoniacæ sublimitate egregium, eique tanti negotii res diligenter expandunt. Qui Spiritus sancti gratia inspiratus respondit altrinsecus: Hæc visio divinitus manifestata non solum exultationis nostræ materia est, verum etiam multarum nationum gentibus gaudium erit; quoniam puer Deo donante nascetur vobis, jam in utero matris sanctificatus et spirituali lacte refectus, summus pontifex, et inerna patriæ ac constantissimus propagator legis divine populis Dei est futurus in viam salutis aeternæ. Venerandus namque cum aderat dies quo clarissima genitrix et nomine digna

B Agalmia superna visitatione perlustrata benedictum huic mundo protulit partum, omnes regionis illius incolas tanta mira jocunditatis gaudia attigerant, et tam immensa serenitas clarissimis solibus usque ad exactum mensem inclarerat, ut cuncti admirarentur: et tam magnorum gaudiorum, tantarumque serenitatum instantiam nec in vetustissimi legisse codicibus, nec ab antiquorum dietis Patrum se audisse faterentur.

**5. Ab Augustino et Menalchio baptizatur.** Cnr vocat s' *Livinus.* Eodem tempore B. Augustinus, eximia sanctitatis persona, qui a B. Gregorio Romance sedis apostolico pontifice transmissus Anglegenitarum primus antistes et splendidissima summae veritatis lucerna, sui causa negotii divina ut intelligatis providentia subministrante ad prefatum regem Colomagnum convenerat, et ipse tanta raritatis admirabatur gaudium. Nam cuncti primates regis universaque celsitudo regalis cum civibus patriæ in mirum exultationis conversi sunt gaudium, et præsago veritatis spiritu mutuisque collocutionibus congratulabundi altrinsecus certa pronuntiantes, hunc infantem Deo dilectum lumen populorum atque summum totius regionis patronum prædixerunt forte futurum. Quem pius rex et devotissima regina cum venerandis pontificibus Augustino Anglorum episcopo et Menalchio archipræsule de sacro fonte beatæ regenerationis suscepserunt, indentes ei nomen Livinus ex nomine germani gloriose genitrix suæ Agalmæ Hibernensis Ecclesiæ archiepiscopi, qui apud Hibernianos pro nomine Christi palinam martyrii adeptus est. Qui mox ut de aqua levaverunt puerum, cum omnibus qui aderant manifesta visione cernebant descendisse columniferum splendorem radiis splendidi solis fulgidorem, atque capiti benedicti pueri imminere et dexteram auro clarissimo rutilantioem inde emicare, et ter ipsum infantulum signare sanctæ crucis signamine, et cœlitus taliter sonum intonasse: Dilectus a Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est. Hoc versiculo finito, divina visio ad ætherea remeavit palatia. Talibus miraculorum cœlestiumque mysteriorum excellentiis jocundati rex et regina, atque venerande personas divini ministerii, summi videlicet pontifices Augustinus atque Menalchius, cum ceteris pari devotionis intentione Dominum Christum in excelsis collaudaverunt.

**6. Cœlestibus studiis vacat.** Igitur electus Dei puer infantilem suam ætatulam rationabilibus suis contingenitiis excellens diatim specie tenus imaginæ virtutis, quamvis tantilli deficientibus corporis viribus, tamen maturis machinabatur moribus a supernis se jam reposci civibus, ipsis contubernialis optatusque indesinenter gestiens fieri amicus; qui felicitati promerendæ anhelans, temporalibus futurorum con-

temptatione renuntiabat, et quia se fragilitate carnis a bene agendi statu dejici formidabat, spirituali subministrione corroboratus studio perfectionis ascendendo magnifice pollebat.

7. *Energumenos duos liberat.* Ecce jam memorandus adolescens, beatissimus scilicet Livinus, athleta Christi perspicabilis, divini servoris pudicitia galeatus, constantia fidei loriceatus, et undique cœlesius militiae fastigio conflagratus, cum iam novem annorum excederet ætatem, perpetuis meritorum praecognitus virtutibus, summi regis signifer bellator, contra saevissimum hujus mundi tyrannum et ejus lethiferos testus triumphaliter bellaturus, talibus glorificari mirificis in mundo orsus est insignis. Sancio igitur die Pentecostes cum praefatus dux Theagnius cum venerando pueru optimatumque suorum circumfultus comitatu ad monasterium ab eo sedicatum ad honorem sanctæ Mariæ Virginis Dei Genitricis, divinis refici laudibus cupiens ac muniri sacramentis crederet, erce incola loci illius attraxere duos homines catenis ferreis colligatos, quos miserabilitate dementaverat serpens antiquus et humano consortio frustraverat; quorum etiam unus viru et duas mulieres interemit, alter quoque uxoram ipsius et duos filios in sua dementatione in mortem prostravit. Quos venerabilis puer Livinus cernens ait genitori suo et comitatu ejus: Una ergo mecum, charissimi, queso, omnipotens Dei clementiam flagitate, quatinus nostis orationibus pro hujus negotii qualitate glorie sue respectus aperiat. Et expansis manus pariterque subrectis in cælum luminibus oravit dicens: Deus Pater æterne, immortale precordium tibi fideliiter supplicantium, exorabilis miserator tuus adesto famuli, et pio pectore nostris annue votis, et effloreat tuta benedictionis gratia super hanc fabricam cui proprii plasmatis tam dire imbecillitatis gravedine obsequalem, ut clarificetur nomen tuum in ea; et tante tute clementiae favor ruminetur in sæcula. Et mox omnibus concilantibus Amen, venerabilis puer, scilicet Livinus, supernæ pietatis signifer processit impavidus, ac imponens manus suas super capita amborum dixit: In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, cuoncta diabolice phantasmatis incursio a vobis eradicetur, et mundemini invas purissimum sanctæ fidei, et efficiamini regnum Spiritus sancti. Tunc cunctis intuentibus sumus D te terrimus atro eruore permisimus ex ore et naribus eorum ebullivit, interimque survarum nigerrima conglomatio muscarum effumavit, et stridenti confusoque sonitu aerem evolando disparuit. Quos mundatos cœlestis medicus signamine sanctæ crucis muniavit et in sancta confessione confirmavit. Qui fidientiori animo perspicaciores electi suis omnibus renuntiaverunt, beatique pueri Livini adhaerere coepérunt vestigiis, et reliquum vitæ sue tempus in sancta conversatione secum perduxerunt; quorum unus vocabatur Helimas, alias Symphronius, qui in fide sanctæ Trinitatis exemplo pii magistri experientur apud nos Deo digni et eximii confessores haberi et cohæredes regni Iesu Christi.

A 8. A Benigno presbytero eruditur. Talibus igitur omnipotens Deus, cæterisque divinis praecognitorum insigniis magnalium hunc dilectum famulum suum Livinum mundo manifestari voluit, et perspicibili ratione discretalis sue dispositionis sic venerabiliter electorum suorum quos ante mundi contumaciam in sempiternam sibi præordinavit gloriam, quibus praeconibus veritatis sue lumen ostenderet, sacrosanctis contubernialium aggregari clementius decrevit meritorum virtutibus. Sed egregie etiam indolis puer divinis muneribus feceratus, spiritus humilitatis perlucidus, incomparabiliter contemplatione futuræ vitae suspensus, superna præeunte gratia et benigna ejus sub sequente voluntate, totius perfectionis desudando appetebat culmen possidere. Ecclesiastice vero norma disciplinæ vitam suam contemplabiliter moderandam orditum elegerat apud

B. Benignum presbyterum Scoticæ generositatis, alti sanguinis virum, sed altiori sanctarum virtutum clarificatione prolatum, a quo denique spirituali distinctione cum devote mentis teneritudine appetens conformari, et Davidicis Psalmorum melodis, et sanctorum Evangeliorum melliliis lectionibus atque exoteris divinis exercitationibus perfectissime instrui, ut pote superni respectus præstans refectus, quasi in spatio paradisiaco amictatis campo pedem jam transfigens, per gradus virtutum diatim efficacissime æternitatis transiret in gloriam. Cuius etiam subtilis intelligentia, mirique ingenii efficaciam quis expandat? Spiritus sancti gratia cooperante, nullis divinorum lectionibus studiorum, nullisque bonorum moribus exemplorum aliqua difficultas percipiendarum rerum suam impedivit capacitem. De talibus autem commemorat ille egregius prædicator cum dicit: Nulla ad discendum mora est, ubi Spiritus sanctus doctor adest. Dum in his Deo dilectus adolescens Livinus diligentissime floraret studiis, contigit magistrum suum Benignum dignæ memorie virum hac vita solvi et superna promereri, cuius exitum discipulus vigiliis et orationibus commendabat Dominino quotidie mira pietate devotus.

C 9. Nutricem ritæ restituit. Quedam materfamilias Silvia nomine, nutrix venerabilis pueri Livini, ex assidua sua infirmitate per multos languescens dies ad fatalem jam propiaverat horam. Quæ pondere mortis agravari coepérat, et jam quasi ignota facies illius exhaustis genis, nimiaque pallitudine opprimebatur, ac subrididis luminibus imbecilliter circumstantes intuebatur, nullum tamen agnoscentem obnubilatio extremi visus impedivit eam. Unde ineluctabili mortentia non solummodo civium familiaris concio, atque contextalis devota contubernialitas contristabantur, verum et gloriosus praefatus dux et ejus palatalis veneranda sublimitas tanto dolori affectuali cordis contritione tenerrime compatiabantur. Quæ jam cum in ruinam mortis vergi vijeretur et prorsus conclamata desperaretur, interim accersitus advenit sanctus Livinus puer properus, gloriosis virtutibus magnificandus, inter medios mortentium cœtus supernæ illustrationis lumine fre-

tus ad grabatum properabat dilecta nutrictis jam mori incipientis: et ubi humana intellexerat sopiri solatia, pia sollicitudine satagebat adhibere coelestia. Stabat autem prope exanimis artus adolescens Deo dilectus Livinus, coelestis medicinae arte peritus, oculis ac manibus in cœlum suspensus, lacrymis faciem perfusus, et quod per creberrimos singultus agri doloris effari nequævit, precordialis ejus affectus clarescentibus meritis peroravit. Et jam finis erat orationi: tunc corpus defuncte recepto spiritu convalescens resedit, manusque sursum extendit, et Deo gratias egit et dixit, quia cum per ignota et aspera viarum loca et caliginosa a nigris spiritibus perducerer, et in alram soveam sulphure et igne ebullientem immergerer; advenit sanctus Michael archangelus cum patriarchis Abraham, Isaac et Jacob, et sancto Petro apostolo coelesti claritate fulgorans, minacisque conspectu dixit illis tetris spiritibus: Ne inferatis molestiam animæ isti; sinite eam, quoniam per merita dilecti sui Livini Christus jubet in corpus suum reverti. Illi confusi disparuerunt. Tunc sanctus Michael archangelus et sancti Patriarchæ et sanctus Petrus apostolus suscepserunt animam meam: t in corpus suum reposuerunt.

10. In solitudinem secedit cum tribus sociis. Haec et plura his similia simplici pronuntians ore, atque suscepta benedictione beati Patriæ, post hæc per multa annorum tempora vixit incolunis. Dum vero talibus insigniis coelestis militie egregius tiro magnificaretur in populo, expavescens ne la ore elatus humano a culmine perfectionis suæ privaretur, et magnifica claritatibus ejus speculo quedam seductionis fomenta laudum commisceri pertimesceret, continuo solitudinem petens cum tribus discipulis suis Foillano, Helia et Kiliano, quos superius prælibavimus, per arbusta et frutecta latitabat, herbis silvestribusque pomis aquarumque turbidarum parca libatione (ut mos illi erat) contentus.

11. Libris scribendis vacat. Omnia autem quæcumque habuit, aut habere potuit, larga manu indigenibus distribuit. Nam scriptor peritus erat<sup>a</sup>, et huic operi sedulo invigilabat, studens præcipue ut adquireret unde egentes recrearet: cuius virtutis favor velut aromatum suavissimus odor late sumigans prefati regis Colomagni perlustravit palatium et Scoticarum regiones celebri ruore clarificavit, et gratauerat pectora omnium. Digna vero tanti præconia viri pius rex admirabatur, atque his quæ per eum gloriose fiebant congratulabatur. Et factum est ut cum honore eum sibi presentari jubaret et humiliiter ei supplicaret dicens: O beatissime Pater, novimus te norma omnium virtutum florere, sicut honorum tuorum perhibent gestorum exempla. Idcirco toto mentis affectu rogamus te, ut nobiscum manere dignerie, nostrisque regalibus opibus uti, et nos saluberrimis tuis moutis, evangelicisque doctrinis a te mereamur perfrui. Ilujusmodi quoque flagi-

tationibus idem gloriosus rex et optimates ejus et ipsi etiam cuncti subaulici inquietabant per singulos dies amicum Dei. Vir quoque Domini Livinus animum a coelesti non reflexit fædere, sed plus cogitans quæ sunt mundi, veritus est si eorum voluntati satisficeret, quod animi ejus intentio quavis occasione maligni insidiatoris titillante posset commaculari, siveque sobrietatis statu dejici.

12. Angelo monente, ad Augustinum pergit. His sollicitudinibus ægre fluctuant adstitit angelus Domini, eique intulit hæc verba consolatoria, appellans eum proprio nomine et dicens: Ave, frater Livine; ne sis sollicitus, tempus est ut consolationem accipias. Recede hinc et vade ad B. Augustinum episcopum, cujus doctrinis et piis informationibus, Domino cooperante, mirifice sublimaberis. His dictis angelica visio remota est. Beatus autem Livinus sciens erga se universa divinitus agi, permissione regis suscepta a palatio quantocius recessit, angelica satagens jessa adimplere. Inter quoque iter agendum dum appropriaret ad mare magnum per quod transnavigare habebat, obviam venit ei juvenis perlucidus aspectu, habilis in incessu, dulcique affamine sic sanctum Dei exorsus est compellare: Ne cuncteris, frater; ego sum quem Deus omnipotens custodem vita tuae deputavit, et nunquam aberit tibi cura mei, sed defensor et dux aderò in oronibus viii sive operibus tuis. Novi causam itineris tui, fessinemos quo tendis, quia prosperum iter Deus dabit nobis.

13. Mare, siccis pedibus, sulcat, angelo duce. Hæc eo dcente et precedente, sanctoque Livino cum tribus discipulis suis subsequente, pariter illud mare magnum, siccis pedibus, transierunt superna comitante clementia. Beatus vero Livinus et cœpenominati discipuli sui, scilicet Foillanus, Helias e. Kilianus, quandiu super aquas maris pedestri calle gradiebantur, tandem visum est illis incedere per campum viridissimis graminibus et rosarum, liliorumque floribus albescentem, et omnium speciosarum generibus herbarum vernantem. Cum autem ad litus convenissent et in terra tutis gressibus consistenter, ducior eorum discessit ab eis, et videntibus illis cum magno splendore divinæ claritatis circumfusus ascendit in cœlum. Vir autem Dei humilis: pavore attonitus, pariter quoque spe supernæ consolationis animatus cum discipulis suis coelesti gratias delitas referebat laudes.

14. Ab Augustino informatus, sacerdotio honoratur. His rite peractis citato cursu, secundoque itinere ad sanctum pervenit Augustinum episcopum. Cujus adventum beatus epis. opus per revelationem sancti Spiritus evidenter agnoscat, dilectumque Dei ministerum sua divinitus intelligentia erudiendum compierens benigne suscepit, miraque charitatis devotione per quinque annos et tres menses nutritivit, litteris eruditivit, et ad fastigium summæ perfectionis

<sup>a</sup> Lege carmen Livini ad Florbertum abbatem Candavensem, et sancti Bavonis epitaphium, infra, pag. 315-316.

juxta angelicam promissionem suis Deo dignis meritis et exemplis conformavit, et ad honorem sancti sacerdotii sacrosancto ordine consecratum sublimavit, eique casulam purpuream auro gemmisque composite perornatam, et stolam cum orario \* gemmis pretiosis auroque fulgido per textam in ipso die ordinationis suæ pro soliere alternae chartitatis pius magister dilecto suo discipulo devoto amore contradidit.

15. *In patriam regressus, Menalchius episcopo substitutur. Mira in ipsis ordinatione.* Cum autem hæc omnia gratia alii Spiritus cooperante digne compleverentur, sacerdos Dei Livinus cum discipulis suis benedictione pili magistri suscepta, beati videlicet Augustini, superna comitante clementia in patriam suam rediit. In ejus quoque adventu principes regni, civesque patriæ jocunditate magna sunt gavisi. Interim conigit Menalchium archipræsulem germanum gloriōsi ducois Theagnii patris sacerdotis Christi Livini de hoc mundo migrasse; de cuius transitu luctus erat omnibus et inerentia indicibili confundebantur universi. Illo queque defuncto præfatus rex Colomagnus et ejus palatinorum chorus cum subaulicis suis totiusque regionis illis confluentia pari cordis affectu combinaverunt, sanctum sacerdotem Livinum in honorem bujus ordinis dignissime sublimandum fore. His rex omnibus devotior consilios, ter quaterque virum beatum in cathedra archiepiscopatus debito honore, Domino iubente, collasvit. Eadem vero hora quando episcopalem accepit benedictionem, ut consuetudo est pastores sanctæ Dei Ecclesiae consecrari, ceterisque episcopis presentibus et clero atque devoto populo, ad declaranda beati antistitis Livini mundo merita et ad confirmanda huc divina mysteria vox superne delata palam omnibus insonuit, ita dicens: Ecce sacerdos magne qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus. Necnum autem hæc divina verba finierat vox sancta, cum subito apparuit super caput venerandi pontificis Livini corona rutilo auro, atque coruscantibus gemmis composita ac vernantibus floribus intexta, et interius atque exterius et desuper purpureis rosarum coloribus lucide perfusa, et astantes fragrantia suæ suavitatis replevit. Hæc etiam præfigurabat fore beatissimum illum antistitem dignum Christi martyrem futurum in roseo sanguine sui martyrii fluidum, et diadema regni cœlestis coronandum, et in confessione martyrii beata immortalitate in sæcula fruiturum.

16. *Gregem suum sollicite curat.* Gloriosus igitur pontifex Livinus jura regiminis, Domino concedente, humili devotione suscipiens, spirituali amore succensus gregem sibi commissum discreta pietate vigilanter admonuit, docuit, correxit, atque perpetuae viriditatis palulo indesinenter resfecit. Cœlestis namque medicus sicut animas suorum discipulorum mendicari invigilabat, ita et ægra multorum corpora

A incolumitatibus bujus vite superna clementia praestante restituebat. Inter has etiam præconandas meritorum suorum virtutes postquam pontificali honore sublimatus est, Domini gratia cooperatrice hæc insignia operatus est miracula.

17. *Paralyticum sanat.* Quidam paterfamilias Scotigena, Abdias nomine, paralyticus pariter et leprosus, omnique membrorum suorum usu destitutus, sic præmortuus existens per novem annos infirmabatur, ut nec linguam ad loquendum movere, nec manus ad os porrigerere, neque pedes contrahere ad se posset; sed totus in grabato rigidus jacebat, et nihil vitale in se nec mobile præter oculos habebat, quorum nutibus sibi necessaria præstari vix innuebat. Cum autem egregius presul Livinus bujus rei gratia glorificandus ovilia ovium suorum eis æternæ vite pabula administrando perageret, casu itineris sui domum illius languidi intravit, et ad introitum ejus mox infirmus ille caput erexit, loqui meruit, et quia sanitatem sentiebat in se vociferabatur dicens: O bene mihi, o bene mihi, quis ingreditur aut ipse Dominus Deus noster, aut angelus ejus visitat nos. Sanctus autem episcopus stabat admirans, ut forte nescius quid suis præcedentibus meritis ibi Dominus fieri d' sposuerit, dixitque languido illi: Quid sic clamitas, frater? Pax tibi, surge et porrige mihi modicum aquæ ut bibam, quia valle lassus sum. Tunc ille sanus surrexit, et jussa viri Dei devotas implevit, et simul cum episcopo gratias Deo ketus pro sanitate sua celebravit, et deinceps vite sua curricula incolumis præterivit. Hoc insigni et admirando miraculo gloriose per sanctum Dei sacerdotem Livinum perpetrato majus admirandum subsecutum est.

18. *Tempestatem sedat.* Dum quadam die per litus maris deambularet, ecce quidam naute valida tempestate pervasi cœperunt vehementer periclitari, et cum omnibus mercioniis suis pessumadari. Quibus videns vir Domini extrema jam imminentia, consueto fatus Spiritus sancti fervore, tuto calle super mare gradiens usque ad eos festinus pervenit, signumque sanctæ Crucis prætendit et ait: Habete fiduciam in Domino, fratres, quia non despicit in se fideliter confidentes. His verbis quievit illa tempestas, et facta est magna tranquillitas. Gubernatorem vero quem ex prora elapsum longe vi sua quantum est missio arcus mare in se protraxit cernens venerabilis Pater mergi incipientem, super fluctus ad eum cucurrit, et dextera sua dexteram ejus apprehendens eum extraxit, et secum ad arida perduxit, aliis prospero navigio subsequentibus et Domino Deo omnipotenti jocundis vocibus laudem concinentibus, qui per sanctum suum pontificem Livinum salvare eos est dignatus. Quis hujus viri præconia tacet, nisi qui mutus est? Quis meritorum ejus virtutes audire fastidit, nisi qui Christum negligit diligere? Non enim aliud fecisse eum novimus, nisi quod Christum docuisse legimus.

\* Hic distinguit auctor inter stolam et orarium, quamquam utrumque apud scriptores ecclesiasticos promiscue usurpari solet.

**19. Virtutum ipsius epilogus. Corporis forma.** Erat quoque virtutis amator, humilitatis filos, lucerna iustitiae, castitatis gemma, sobrietatis norma, in cunctis vero studiis suis insudabat, quo virtutum universarum exemplum fieret et dux. In orationibus frequens erat, vigiliis, jejuniisque intentus, inopes in eorum necessitatibus magnifice relevabat; hospitum et praesertim peregrinantium, monachorumque in susceptione piissimum invigilabat, propriisque manibus pedes eorum abluebat, aquam manibus devotissimus tribuebat, cibum potumque largissimus admirabat, ac vestimenta egentibus ditissime largitus est. Ipse etiam sub vestimentis pontificalibus purpuratis auro gemmisque decoratis semper induitus cilicio, pane subcinericio cineribusque commixto aque parvissimo, aque gustu per dies singulos viciabat: jugi quoque meditatione monasteria sive sancta loca orationibus, psalmodiis, missarumque celebrationibus vigilantissimus frequentabat. Quantvero infirmi et debiles ex umbra corporis ejus et tactu vestimentorum illius sive tantum audientes vocem pize ejus admonitionis sani effecti fuerint quis explicet? plane namque beatorum apostolorum subparem credamus, quia puritate mentis et sobrietate mundi corporis æquali potitus est dignitate. Fuit etiam pauperibus humilis, subjectis mitis, potentibus affabilis, quatinus suorum mediocritate morum, sive jocunditate sermonum in viam omnes alliceret coæstium gaudiorum. Cognovit autem prælatoris his mondialibus potentissimis tumentia eorum collationes ad Christianæ religionis perfectionem valuisse reflecti, nisi per mansuetissimas vero pieatis admonitiones. Apostolica imbutus doctrina, omnibus omnia factus ut omnes lucifaceret, alios se honore præveniebat, subjectos sibi paterno amore confovebat, ut familiaritate sua conversationis promptius verbo vite omnium corda infundaret. Erat autem vir Dei vultu, actu, habitu, omniaque corporali modo pari convenientia coaptabilis, productis scilicet membris et subtilibus, medriocri quoque proceritate eminens, capite grandi, capillis flavis et planis, communis canis et valde raris in fronte, aures latas habens et extensas, oculos pervigiles et levos, hirta supercilia et cana et circa frontem et tempora; candidissimam cutem gerens, genas ut pote ex crebre jejunio tenues, sed admodum rubeas miraque jocundas; barbam canam, digitos duciles et graciles, nullamque prorsus superfluitatem in membris gerebat. Quanto vero pulchrius corporali persona exterius resplendebat, tanto fulgidius habitatore Spiritu sancto interius coruscabat.

**20. Omnes ad se concurrentes docet curatque. Elationem aspersatur.** Cumque succrescentibus meritorum

<sup>a</sup> De caenobio Ganda seu Gandavo lege Acta sancti Bavonis anno 655. Jacobus Malbrancus in lib. III de Moribus, cap. 18, scribit, terro a Tarvenna lapide cerni pagum ad ima collium protensum, sancti Livini nomine ac miraculis innumeris insignitum, quem tauctus antequam Gandam concederet, prædicta sua

A virtutibus in speculum totius sanctitatis excelleret, ita celeste visus est culmen promereri, quatinus non solum Scotica gens, verum quoque Britanni et Hibernienses populi et circumquaque regionum finitimi cum suis principibus admirarentur ejus laudis præconia, et undique mira frequentia confluabant ad eum, ut audirent verba vitae ex ore ejus. Quos omnes ut prius pater spirituali cibavit refectione, sua que confirmavit benedictione, et omnes infirmi et debilitati membris, variisque impediti languoribus qui ad eum convenerunt, ejus beneficentias refrigerari. et optatis vegetati viribus in sua redierunt lati. Bro-his autem animus ejus in elationis jaekantiana non est subrectus, sed ultra quam admirari potest, vere humilitatis cautela in mansuetudinis, patientiae, B castitatis, temperantiae, justitiae, dilectionis Dei et proximi pignore æternæ charitatis fundamento erat fundatus. Favorabiles itaque rumigeri loquacitates vulgi tanquam os abhorruit flammivomi draconis.

**21. Vicario suffecto discedit Christum alijs prædicaturus.** In his autem semper sollicitus fuit quæ Dei sunt, non quæ sunt mundi, sciens quoniam mirificavit Dominus gratiam suam cum eo, et sancte sue meditationis gravitate secum respiravit, culpamque in se reprehendens si talentum sibi creditum in unius regionis loco commorando lucraretur, cum sit multis gentes cœxitate sui erroris irretiri, quas oporteret Dominicæ claritatis fulgore irradiari; visum est ei Christi lucernam sancti Spiritus lampade in se accensam dignius esse super candelabrum ponì, ut profusus ad salutem plurimorum claresceret et ad lucidissimas celestis vite mansiones perduceret. Cum talibus itaque curis fluctuaret, Demino-providente, cuidam sanctæ memorie archidiacono Silvano nomine inculcatabat jura regiminis, ne oves Christi sine rectore essent, quandiu ipse pastor pro alienis ovibus per exterias nationum diversarum regiones prædicando invigilaret.

**22. In monasterio Gandavo excipitur.** Cum vero plurima perlustrasset loca divini germinis semina spargendo, demonia ab obsessis corporibus pellendo, et multorum ægrotantium corpora sanando, convenit cum discipulis suis ad quoddam caenobium avito, vocabulo Gandavum <sup>a</sup> nominatum, quod B. Amandus pontifex extirpatis gentilium fanis fecit fundari, quod et ipse dedicavit ad honorem sancti Petri apostoli et omnium apostolorum, congregatis ibidem cultoribus, quibus præposuit abbatem nomine Florebertyum sanctæ religionis rectorem, dignis moribus compositum, et totius honestatis exemplis refertum: a quo etiam et a cœteris fratribus monasticae charitatis officio benignè susceptus est. Ibi quoque inventit magnifice sanctitatis virum et egregium Christi confessorem Bavanem recentiva <sup>b</sup> morte in Domino

illustrasse videtur. In Sanderi Chronicō Bavaniano sanctus Livinus cum tribus discipulis, xvii Kalend. Augusti, Gandam visitasse, idemque prid. Id. Novemb. decollatus fuisse legitur.

<sup>b</sup> In epitome Vitæ S. Livini apud Surium id post triennium a morte sancti Bavoris contigisse dicitur.

pausantem et in monasterio sancti Petri sanctorumque apostolorum a B. pontifice Amando et abbe Floreberto et devotis fratribus condigno honore humatum atque gloriose miraculis coruscantein. In eodem quoque loco per dies trintatia commoratus est, et ad sepulcrum sancti Bavonis suas preces missarumque celebrationes Domino Deo pervaigil immoblabat.

**23.** *In Brachentiam tendit idolis addictam.* His namque diebus adimplatis, fratres canobii et devotum vulgo pagi pontificali jure benedixit et in via veritatis confirmavit. Et accipiens ab officio monasterii sumptus qui in itinere necessarii sunt, pro'ectus est et in terram properavit, Deo disponente, Brachentiam<sup>a</sup>. Quo ingrediente venerando pontifice salutiferis gressibus admirabatur amoenissimam terram spatiogam et nimis delectabilem, et benignitate Del exuberantem, lacte et melle et diversarum frugum, arborumque fertilitate, omniumque afflatim honorum abundantia affluentem, incolas quoque personali forma corporum micantes, cultu - vestimentorum compertos, loqua et morum gravitate honestos egregios viros, ac præliaiores idoneos et omni exercitatione studiorum suorum huic sæculo digniter confirmatos. Sed quia juxta psalmidicam (*Psal. xxxi*) vocem sicut equus et mulus quibus non est intellectus in chamo et freno Satane constricti sunt, legem Dei prævaricabantur, adulteriis, rapinis, furtis, perjuris, homicidiis foedati, peccata rabiie ut ferocius canes invicem se mordentes, sua quoque alternatim dolo fraudantes, mutua se crede prosterentes. Cernens itaque evangelicus vir illos de die in diem in actibus suis pejores fieri, vigiliis, lacrymis, orationibus pro eis laborabat, ne tam venerabiles personas insatiabilis tartarus voraci fauce absorberet, et in perditionem secum traheret, non cessans quotidie perlustrare oppida, vicos et castella, stillando verba vita in auribus eorum : et divina gratia cooperante quamplurimi ejus eruditione laqueos maligni pervasoria evaserunt, et vitam æternam acquisierunt.

**24.** *Dæmonem conquerentem ab energumena eficit.* Et factum est dum circumiret diversa regionis illius loca, corrigendo, horlando ad viam vitae, populos ab errore gentilitatis revocando, ut intraret fundum qui veteri vocabulo *Holtem*<sup>b</sup> dicitur, ubi occurrit ei homo agitatus a dæmonone clamans et dicens : O serve Dei Livine, quid nobis et tibi? Ecco enim regnum meum invasisti, et militia mea me privasti. Quid ultra me persequeris? Scias etenim quia si me hinc expuleris, faciam te in illo loco multis afflici injuriis. Sanctus autem veritatis minister in Spiritu sancto fretus pro tendit manum suam, et signum sanctæ crucis ei opponens ait : Quidutesce, omnium honorum persecu-

<sup>a</sup> Serarius legit *Brabantiam*, quæ provincia Germanie inferioris maritima, cuius Bruxella caput est, Machlinia metropolis, sanctum Livinum apostolum suum agnoscit. In Miraculorum sancti Bavonis lib. I, num. 8, *leges terram Brabantiorum*.

<sup>b</sup> Hodie *Hauthem*, qui pagus est territorii Alosten-

A tor, et recede ab hac creatura Dei, et amodo ei nec ulli noceas homini. Nec mora ille malignus erroris spiritus abscessit, et videntibus cunctis qui aderant quasi sumus tetrico commissus sanguine ex corpore hominis egressus est. Unde multum fatigatus homo jacebat diu quasi mortuus : et post spatium unius horæ surrexit et cum beato viro Deo gratias egit, ac sanus in sua rediit, et indefessa voce constebatur vulgo sancti Patris virtutem, cuius meritis merebatur liberationem.

**25.** *Piæ matronæ filio lumen restituit.* Audientes igitur incliti archipresulis famam summæ dignitatis matronæ, duæ scilicet sorores, quarum una Berna et altera Chraphaildis vocabatur, eum in suum devote suscepserunt hospitium, qualius suis sacratissimis fruerentur colloquiis, et ejus visitatione per Dei gratiam quam in eo fulgere conspiciebant consolarentur. Habebat autem domna Chraphaildis filium nomine Ingelbertum, qui ex turbatione vesicularum per tredecim annos et menses quinque oculos amiserat, et lumen cœli videre non poterat. Sed sancto Dei Livino signum crucis super oculos ejus faciente, cooperante divina gratia, illuminatus est. Interea hujus facti crescente opione, innumerabilis turba illusorium virorum seminarumque conveniebat ad sacerdotem Dei Livinum, afferentes secum quos infirmos habebant, et animarum corporumque cœlestem medicinam et salutem adepti sunt.

**26.** *Incolks protinus Christum predicat.* Sed miserrimum est fari, quia pene cuncti clives circumquaque adjacentium provinciarum belluino more indomabiles corde erant exasperantes, Deo rebelles, virtutes quas per servos Dei mundo fieri cernebant vanas esse dicebant, arroganterque legem Dei aspernasbanter, sacerdotes ejus interficiebant, et qui eos in viam salutis introducere laborabant, aut illos exterminabant, aut intolerabiliter debacchando atroci morte opprimebant. Igitur athleta Christi constantissimus divinis legibus præcinctus, hos aggressus disputationi evangelicæ prædicator insistebat : simulacrum nostri Salvatoris effectus nullius personam accipiens, sed juxta qualitatem operum sollerti indagatione eos arguens, et ut fidelis operator fructum divini seminis triticea messe in horreum Domini congregare salagens. Credentes vero ut in bonis actibus perseverarent admonuit, incredulos autem et perversos corde Spiritu sancto rohoratus attentius increpavit.

**27.** *Fusibus caesus lingua multatur. Tortores puniti.* Denique cum divinus doctor piis eruditioibus quotidie insisteret, sempiterna gaudia pronuntians beatis, æterna quoque supplicia miseris ; fideles queque alacri corde salutaria ejus monita capaciter suscepserunt, increduli autem contumaciter renitentes dixe-

sis tertio a Gandavo milliari. Lege Epistolam sancti Livini ad Florbertum supra ad Vitam sancti Bavonis anno 653. Hic pagus uti et Gandavum olim Brachanto, nunc utrumque Flandrie attribuitur. Lege Henschenii Comment. in Vitam sancti Amandi, num. 26 et seqq., ad diem 6 Febr.

runt : Hunc evangelicum disputatorem fallacem et seductorem esse, non pro salute animarum invigilasse, sed amore terreni lucri regiones nationum circuisse, et eum dignius esse contumeliis affici, aut exsiliari, aut crudeliter necari quam ejus obtemperari doctrinai. In hoc malignitatis errore pertinaciter perseverantes, alii sanctum Dei martyrem cum plumbatis cæstibus plagaverunt, alii fustibus, multisque injuriis debacchantes maceraverunt. Inter hæc unus eorum Walbertus dictus, diaboli instinctu astuans, ferream forcipem misit in os sancti et abscedit lingua ejus, et projectit in conspectu populi, et ait : Ecce lingua seductoris istius que falsa loquendo gentem nostram avertit : nihil aliud meretur, nisi ut canibus ad devorandum projiciatur. Cum autem presumeret talia perversus facere, flamma ex ira Dei egrediebatur, quo ipsum facinorosum et cum eo sedecim viros conflagravit qui hoc scelus consilabantur, ut nec cineres eorum reperirentur.

28. *Livinus divinitus lingua restitutus.* Constantinus autem præsco Christi non est derelictus a Deo, sed restituta lingua ampliori fiducia populo illi divisa jura insinuabat. Nec ista attactus plaga malignitatum coetus quievit tumultuare contra sanctum martyrem Christi, sed concilabantur dicentes eum maleficum esse et incantatorem et quæ divinitus circa illum fieri viderunt falsa et inania fore [esse] dixerunt. Cum hæc fierent, quidam ex eis Gerardus nomine, crudelior cæteris, protendit brachium suum ut pugno sanctum Christi martyrem proterviter percuteret : sed justo Dei judicio impeditus per dies tres, ita extenso brachio rigidus et confusus permanuit. Ad se autem reversus, ad pedes sancti martyris prostratus est et sospitati redditus est. Beatus igitur pontifex Livinus pro divinis virtutibus quibus quotidie gloriose factus est, indefessus Deo laudes docerat, et toto affectu studuit, quod ipsi hostia cum palma fieret martyris, pro cuius amore mortem pati decreverat.

29. *De martyrio instanti certior. Fidelibus valebit.* Cum autem hora remunerationis sue appropiare, Dominica nocte quando solito more in orationibus vigilaret, apparuit ei Dominus Jesus Christus cum discipulis suis, magna luce circumfusus, dixisse illi : Gaudete, dilecte mihi, constanter operare, hodie circa horam sextam recipiam te in regnum meum, et gaudebis tecum cum fratribus tuis in æternum. Hæc visione roboratus miles et amicus Dei, sciensque diem sue remanerationis imminere sibi, mane illucentie plebem fidelium qui per ejus doctrinam Christo crediderunt convocavit : quos ut in via veritatis persistenter admonuit et ea quæ ad regnum Dei pertinent docuit. Et unito sermone benedixit eos, flectensque genua coram eis gratias impedit pro officio humanitatis quo eum devotissime suscepserant. Dans autem oscula per singulos lacrymatus est, et omnes adstantes ad pias flexit lacrymas ; et salutatis omnibus pie in Christo invitatis eis abscessit, et coepit velle iter suum dirigere cum discipulis suis in vicum qui Esca vocatur, ut illis civibus adnuntiaret regnum

A Dei, si forte vel ibi consequeretur promissionem Christi.

30. *A furentibus multitudine appetitur.* Pro inimicis ac cultoribus suis orat. Cooperientes hoc duo fratres Walbertus et Meinzo ministri diaboli, quia amicus Dei dilectus discederet, arbitrati sunt eum fugam inire; et cænglobatis commilitaneis suis feritate illis similibus sellino corde eructuabant hæc feralia verba dicentes : B'asphemator ille legem nostram prolanavit et populm seduxit ; sciens nunc maleficis suis non posse apud nos amplius proficere, clam nobis dispositus jam impunitus abscedere. Sed non ita emigrabit injuriatus : sequamur eum festinantis ut opprobrium nostrum vindicare valeamus. Complices autem eorum Deo odibiles, filii tenebrarum, patris eorum Satanæ angelis agitati, crudelius sevientes, majora convicia in sanctum Dei martyrem injuste locuti sunt : qui pari conspiramine ad effundendum sanguinem innocentem concurrerunt, de quibus patenter scriptum est : Sepulcrum patens est guttur eorum, etc. (Psalm. xiii). Stabat quoque invictissimus Christi martyr Livinus in orationibus, oculis ac manibus in culum affixis, et subito in agone positio Spiritus sanctus in specie columbae niveæ apparuit, et suavissimo ore suo stillans guttulas tres roseas sanguinis super caput ejus dixit : Ne paveas, charismate, aperta est tibi janua vita, hora est ut intres in gaudium Domini tui. His dictis, ter circumvolavit eum et lapsa est in celum. Sanctus autem pontifex in orationibus vigilans instabat ; et ecce unus ex discipulis suis nomine Foillanus, veniens ad eum, dixit : Pater, audio strepitum armorum, coacursumque pedum appropriare. Necdum finierat dicta, et ecce filius iniquitatis Walbertus et frater ejus Meinzo rabiidis imi canes cum suis satellitibus supervenientibant, et minantibus oculis in sanctum Dei martyrem fremebant. Sed fortissimus athleta Christi progressus constanter dixit illis : Quid venitis, fratres ? Si paenitet vos hucusque errasse et veniam quæritis, propitius est Deus aperire januam misericordie sue pie pulsantibus, sicut idem ait : Petite et dabitur vobis, querite et invenietis, pulsate et aperietur vobis (Luc. xi, 9). Videns autem B. Livinus Christi martyr celestia monita cœcata mente illos non posse percipere, ait : Fratres, cognovi quia queritis me interficere, sed securus de Dei misericordia sum, qui ait : Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam (Math. x). Et tunc quidem temporalem mortem irrogabitis mihi, sed nasci coelesti lumini incipiam, ut cum Christo in æternum vivam. Et modo paululum, quæso, sustinet donec orem. Et dato spatio orandi, expansis in cœlum manibus sublimè a terra in aere libratus superna claritate perfusus oravit dicens : Deus qui me in utero matrix meæ sanctificasti, et splendore tue gratiae ortum meum perlustrasti, et super mare mihi dux fuisti, exaudi me, Domine, famulum tuum, ut hi qui injuste persequantur me pro tuo nomine, non deleantur de-

libro vite, sed cum sanguine meo satiati fuerint; et inspirati gratia miserationum tuarum penituerint, recipias eos in numero electorum tuorum. Praesta, Domine, ut in loco quo praesentia reliquiarum meas ruin fuerit, vel memoria nominis mei, sit semper in columnis et abundantia pacis, et omnium honorum plenitudo flore cat; et qui in mari, vel in aqua, sive in terra, sive in carcere aut insirmitate, sive in aliqua pressura angustiantur, et nominis mei recordati fuerint, exaudi eos, Domine, ut cognoscant vere quia fidelis es in electis tuis et sanctus in omnibus operibus tuis; et si in peccatis incident, et per me te invocaverint, tua clementia absoluti laudent nomen tuum in secula; et maxime, Domine, qui hunc diem assumptionis meae cum devota retinauerint memoria, habeant totum annum iugis praesentia gratiae securum, nec eis dominetur infirmitas, nec molestiarum inquietas; sed sit eis tranquillitas pacis et sanitatis et sobrietatis, que eos letos perducat ad regnum glorie tue, præsta qui vivis et regnas una cum Filio tuo Domino Iesu Christo et cum Spiritu sancto, per omnia secula seculorum. Responderunt discipuli ejus cum astantibus filiis, Amen. Ecce vox divinitus emissam: Mi dilecte, inquit, super his omnibus que benigne exorasti, scias te procul dubio exauditum.

31. *Capite percutitur.* Posthac constantissimus martyr Christi et triumphator magnificus Livinus divino auxilio roboratus descendit ad eos, et dixit illis: Fratres mei charissimi, asto hostia regis aeterni vocantis me, præstolari gloriam quam mihi preparavit in celis: adsunt et angeli ejus præstolantes me. Estote fortes, et si quid defuerit viribus, suppleat vestra crudelitas in passione mea. Isti comites mei oves Christi sunt; peto illis pacem, neminem unquam heserunt, innocentes enim sunt. Et osculatus est eos et dixit: Deus omnipotens custodiat vos, charissimi, in vitam aeternam. Et suspiciens in celum

\* Varias legimus apud Surium sancti Livini translationes, quas compendio sic accipe. Primam anno DCCCLII celebavit Theodorus Cameracensis episcopus, dum sanctorum Livini et Brichtii corpora in villa Iloltem seu Hauthem sepulta humo extulit, et loco celebriori collocavit. Secundam Eremboldus monasterii sancti Bavonis abbas, qui anno circa MXX integrum sancti Livini corpus securitatis ergo e subjecta sibi Hauthemensi ecclesia in suum cenobium transuertit. Quo in loco per Radbodus Noviomagensium Fornacensiumque episcopum et Withmannum abba-

A dixit: In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me, Domine, Deus veritatis. Interea supradicti fratres Walbertus videlicet et Meinzo irruerunt in eum, et multis plagis irrogatis ad ultimum suæ salutis doctorem decapitaverunt, et videntibus eunctis anima ejus ab angelis suscepta meruit scandere secreta coeli cum magna claritate coelestis gloriae. Passus est autem beatissimus pontifex et Christi martyr Livinus pridie Idus Novembris, regnante Domino nostro Iesu Christo, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum.

32. *Chraphai dis cum filio similiter perimitur.* Cognoscentes autem hoc factum illustres viri et feminæ qui per ejus doctrinam illuminati fuerant, venerunt gementes et plorantes ad beatum corpus. Inter quos erat prædicta matrona Chraphaiddis quæ venerabilem virum Dei in hospitium habebat, et suis eum opibus devotissime confovebat, secum ferens in manibus puerulum quem ipse sanctus martyr nuperime de sacro fonte levavit, imponens ei nomen Brichtius, adhuc in albis: quæ ante omnes alios erupit in lacrymabilem vocem dicens: Beatum virum illuminatorem patris innocentem esse et iuste tam crudelis mortem sustinere. Tunc satelles Satanae Walbertus, a diabolo inflamatus, insilens in eam, bipennula sua caput ejus per medium secuit; quæ statim expiravit. Infantulum autem per tres partes secuit, quas juxta corpus beati martyris projecit. Certissimum enim creditur eos habere gloriam martyrii in sorte venerandi pontificis et martyris Livini. Discipuli vero tulerunt corpus pii magistri et partes de corpusculo infantuli, et posuerunt pariter in monumento novo sibi angelicis manibus divinitus preparato. Beatam quoque Chraphaiddem martyrem Christi seorsum sepelierunt prope sepulcrum \* beati martyris Livini.

tem anno MLXXXIII, alia translatione facta, rursus post annos prope XC, tempore Beltonis abbatis sacre Livini reliquie a Waltero Tornacensi episcopo novo loculo impositæ sunt. Denique anno MDLXVI (ut scribit Sanderus in Gandavo suo), Calvinistis Gandavum depopulantibus, ezedem reliquie cum aliis permultis illatae sunt in castrum novum a Carolo V imperatore exstructum; indeque postea anno MDLXVII in collegiata sancti Bavonis ecclesia, quæ modo cathedralis est, honorifice depositæ sunt